





THRENOLOGIA

De tristissimo simul, ac beatissimo obitu

Illustrissimi Principis ac Domini

**DN. FRIDERICI
VVILHELMI, DVCIS SAXO-
NIAE, LANDGRAVII TVRIN-
GIAE, MARCHIONIS MISNIAE, &c.**

Recitata Ienæ

*Cum ab ordinibus Reipubl. literariae in luctu
summo & iustissimo*

Patri Patriæ parentaretur.

A V T O R E

**GEORGIO MYLIO D
MAGISTRATVS ACADEMICI
CLAVVM PRO TEMPORE
gerente.**

J E N Æ

*Ex Chalcographia TOBIAS STEINMANNI
Anno recuperatae Salutis 1602.*





ILLVSTRISSIMO PRINCIPI

DOMINO IOANNI,
DVCI SAXONIÆ, LANDGRA-
VIO TVRINGIÆ, MARCHIONE
MISNIAE, &c. FRATRI VNICO PIE DE-
FUNCTO EXEQVIAS VINARIAE
PARANTI,

*In subiectissima συμπραδείας testimonium,
Injustissimi luctus mitigationem,
Consolationis efficacis votum*

Dedicat Autor.

T H R E N O L O G I A .



QUOD VIS DABIT CAPITI MEO
 AQUAM, ET OCVLIS MEIS FON-
 tem lachrymarum? & plorabo dies no-
 ctesque interfectos filiaꝝ populi mei,
 dixit Vates sanctissimus Ieremias, de *Ierem. 9.*
 miserabili vr̄bis Ierosolymæ excidio: & tũm id dixit,
 cum eminus prospiciendo, venturæ cladis contempla-
 tionem animo suo volueret: non tũm, quando oculis
 tristissimam vastationem aspectabat, cuius ipsum tan-
 dem Spectatorem esse **D E V S** mirando consilio voluit.
 Quo tempore quantam ille capite suo vim aquarum
 egresserit, quos fontes lachrymarum oculis suis profu-
 derit, Threnorum liber testis est, qui ab eodem, ut ple-
 rique autumant, illius excidij deplorandi occasione:
 ut alij existimant Interpretes, & liber Chronico- *2. Para. 35.*
 rum posterior innuere haud obscure videtur, pro
 obitu **I O S I A E** Regis plangendo, à Vate sanctissimo
 est conscriptus. Sumus etiam nos hodiè, & sumus proh
 dolor, Spectatores fati luctuofissimi, quo **I O S I A S** no-
 ster Saxonicus, Dux ille inclytus **F R I D E R I C V S**
V I L H E L M V S, hoc est, illud ipsum, quod nomine præ-
 se ferebat, re ipsa præstans, nempè, **A B V N D A N T I A**
P A C I S, **E T M V L T I T V D O S A L V T I S**, è com-
 plexu suorum, è conspectu nostro, è vivis ipsis in hac
 mortalitate est ereptus. Iam quidem in hoc publico
 luctu nemo, uti video, abest à sensu acerbissimi doloris,
 tristantur Proceres, lugent Senes, in lachrymas solvun-
 tur Matronæ, tota in mœrore versatur Aula, suspirijs &
 gemitu omnis repletur Ecclesia, jacent in squalore
 Scholæ, Templaque, & omnes planè Curiaꝝ, Patrem
 Patriæ defunctum Provincia tota deplorat, qui ob gra-



T H R E N O L O G I A .

vissimam istam Reipubl. calamitatem non affligatur, hominem arbitror esse neminem. Verùm ne profus in occulto lateant lachrymæ, publici luctus Præco ego constitutus sum hodiè, qui in tristissima hac Panegyri, **IOSIAM** nostrum Saxonicum novis threnis, & publicâ lamentatione prosequar. Quo loco intelligo quidem ego, quid à me impositi muneris Provincia requirat, quid animorum vestrorum squalor & moestitia exigat, partim ut laudatissimi Principis, cui Parentatio ista instituta est, virtutes, resque gestæ luculentâ Oratione explicentur, ne is tumulus, qui corpus conteget, & dies illa, quâ exequiæ parabuntur, etiam memoriam tanti Principis obruisse videatur: partim ut in tanta publici luctus acerbitate afferatur Oratio, quæ moerorem efficaci consolatione leniendi, mitigandiq; vim in sese aliquam habeat. Ego verò quàm parum, ut veriùs dicam, quàm nihil utraque parte præstare possim, optimè sum mihi conscius. Nam quid de laudibus tanti Principis ego dicam, quæ tantæ sunt, ut ijs percensendis nulla dicendi vis par esse possit: & quæ aliquid assequi in hoc genere queat, eo ipso infelix sit, quia amissorum bonorum in laudatissimo Principe memoriam refricat. Quid autem ego consoler alios? qui consolandus ipse sum, orbatus eo Principe, cui postquam à **DEO** discessum est, fortunarum, honoris, vitæ denique ipsius beneficium, quodcunque hætenus superfuit, acceptum referre necessum habeo: & in publici luctus societate, saltem eo nomine deterioris conditionis me esse sentio, quod vobis silentibus, & altum corde dolorem prementibus, mihi loquendum est uni, qui, si arbitrio res ageretur, voluntate silendi nemini vestrâ cessurus essent.

Quod

T H R E N O L O G I A.

Quod quia officium, Senatusque autoritas mihi non permittit: agedum ad necessitatis presentis obsequium me attempero, & ex operis ipsius difficultate animum quasi recipio, sic plane persuasus, quod mihi necessario eveniet, ut & multa omittam, quæ dici queant, & ea ipsa, quæ attigero, jejuno & exili stylo perstringam; idem cuilibet quantumlibet exercitato, & ad dicendum omnibus rebus instructo, eventurum fuisse. Et quia communis est mihi vobiscum doloris acerbitas, & causa luctus eadem, eaque publica; in gemitus & lamenta resolver, quæ ut promptius animo meo egerantur, exonerenturque; in caput geminum, Orationis vela pandam, quorum priori calamitatis & miseriæ ejus, quæ nos hoc tempore affligit, gravitatem exponam, simulque eorum, quæ nos decent, & ex quibus malorum, quibus premimur, remedium haurire possimus, explicationem proponam: altero, quibus solatijs mentes, sub hoc luctu consternatæ, erigi, sanarique debeant, ostendam. **D E V M** ter Opt. ter Max. precor, ut verba ad vos mihi habituro, res in verba, & verba in res benigne & promptè suggerat. Vos autem Auditores optimi, mœstissimique obtestor, ut maciem & squalorem Orationis, calamitati temporum, quæ planctum, non plausum requirit, quæque animum etiam excitatissimum frangere queat, tribuere non gravemini.

Si ex meo luctu dolorem vestrum metiri, si expulato squalore & habitu, cordium vestrorum mœstiam, & consternationem æstimare debeam: Davidicum illud excuti nobis singulis posse persuasissimum habeo, quo ille inter angores summos constitutus exclamavit: *Anima mea turbata est valde: Et tu Domine* *Psalm. 5.*

T R E N O L O G I A .

Serm. 57. usq; quò? Verba pauca & concisa: Verùm non in bucca, quod dici solet, nata: sed ex ipsis intimi cordis penetrabilibus expressa, excussa, extorta, quorum miserabili sono peculiare quoddam calamitatis genus indicatur, quo populum suum affligere interdum DEVS consuevit. Est quidem Magnus in iustitia, Mirificus in potentia, Munificus in gratia & misericordia DEVS, ut hæc de suis verbis mihi largiatur Bernhardus, nec est, qui modum comprehendere virtutis aut operis ullius in DEO, vel hominum, vel Angelorum quisquam possit. Sed non est minùs in castigando populo suo varius, & quasi incomprehensibilis, & impervestigabilis Conditor & Gubernator generis humani DEVS. Davide tamen Magistro (quo dubites an hæc Schola DEI, discipulum magis exercitatum unquam habuerit) in duo potissimùm, ad summum, in tria genera, afflictiones omnes dispesci posse discimus. Quædam corpori duntaxat, molestiam afferunt, & tametsi premunt hominem: tolerabiles tamen sunt, & incensu conditionum quasi reputantur, quibus vita humana est obnoxia, ut sunt servitus, paupertas, odia hominum & similia. Aliæ longiùs penetrant, & ad cor quidem ipsum hominis pertingunt, hoc est, dolorem cient acrem: sed tamen non intolerabilem. Quo in genere sunt morbi, amissio bonorum, mors amicorum, persecutio, exilium, Martyrium, denique mors ipsa propria, & similia. Quæ licet penitus aculeos, pectoribus hominum infigant, & meritò gravent ac crucient homines: ad animam tamen ipsam usque non pertingunt. Ratio hæc est, in his rebus partim conditio naturæ obtinet, quæ culpâ vacare hominem permittit: partim bonitas
causæ

T H R E N O L O G I A

causæ militat, quæ animam de suæ tranquillitatis statu
 deturbari nondum patitur. Sed est tertium illud, reli-
 quum afflictionum genus, quod non in carne hæret:
 nec in corde tantum pedem figit: sed ulterius penetran-
 do, ad animam ipsam se insinuans, nobilissimam illam
 hominis partem infestat atque occupat, non dolores
 vulgares: sed terrores excitando: nec terrores tan-
 tum: sed turbationes etiam commovendo, tantas illas
 quidem, tamque vehementes, ut inde in angustias extre-
 mas redigi homines contingat. Et obtinent quidem
 hoc in genere præcipuum locum tentationes spiritua-
 les, cum quibus conflictatum fuisse Davidem Psalmus
 ostendit, ex quo verba Davidica nuper sunt allegata.
 Sed referuntur tamen ad hanc classem calamitates et-
 iam externæ, præcipuæ illæ, quæ sunt divinæ iræ ag-
 gravatæ, exasperatæque indices, & atrociorum flagitio-
 rum vindices, quales sunt publicæ illæ *τιρωγίαι*, Pests,
 bella, fames, &c. Hæc enim quando ingruunt: in pijs
 & verè fidelibus non dolores tantum cordis pariunt:
 Sed pavores etiam conscientiæ, consternationes ani-
 morum concitant, quæ ad divini iudicij rigorem timo-
 remque, attonitos quasi hominum animos efficiunt:
 Huic afflictionum generi accensendos ego censeo in
 genere quidem, hominum pietate in **DEVM**, meritis
 erga homines insignium omnium: præcipuè verò Ma-
 gnatum atque Principum eorum obitus, quos non
 opum aut generis splendor: sed singularis erga **DEVM**
 pietas, & innumera in Rempubl. merita, supra com-
 munem aliorum hominum sortem evexerunt. De dicti
 utriusque veritate dubitas? En tibi assertionis prioris
 testem Prophetam produco, Esaiam illum Prophe-
 tum.

TUM.



T H R E N O L O G I A .

rum principem , qui in iustorum , & insigniter piorum
hominum obitu , diritatis omen inesse *Διερρήδω* asse-
verat , idque non vno : sed diversis , nempè 26. & 56.
yaticiniorum suorum Capitibus. Posterioris dicti ve-
ritatem sensus communis, & cui hic ipse innititur, expe-
rientia ipsa magistra comprobat. Hinc enim non so-
lùm Historicus ille nobilissimus pronuntiatum illud
suum haufit, *μάλιςα πῶς Ἰπὶ Πάισμασι μεγάλοις Φιλῶ
προαφαιρῆσθαι τὸν ἡγεμόνα ὁ δαίμων*, Solenne Deo est,
Principes è medio priùs tollere , quàm graves ruinae
ingruant : sed & Solon *ἀπονημόνδμα* suum sumpsit :

Δημόσιον κακὸν ἔρχεται οἰκᾶδ' ἐκάσῳ.

Intrant in thalamos publica damna tuos.

Quod non eo fine à me in medium adducitur , vt illuc
vos Oratione hac meâ abducam , vbi vos sponte vestrà
iam consistitis : neque vt luctum vobis augeam , quem
tamen ne dies ipsa nobis augeat , vehementer vereor.
Illorum retundenda est opinio, qui casu, qui communi
more , qui absque vllò conversionum publicarum mo-
tu , Heroas è genere humano tolli existimant, qui que
ita promiscuè habent hominum Plebeiorum & Ma-
gnatum obitus , vt perindè sentiant, aut mirentur, si ar-
bores cadant, & summi quisque inter homines morian-
tur , in quo vtroque parem esse rerum humanarum, &
naturalium vicissitudinem isti perperam autumant.
Alienismus est ab istorum hominum opinione Spiritus
sancti sensus , ex quo tam certum fati præstantium
Heroum inesse omen iudicandum est : vt ea etiam non
aliundè magis , quàm populi ipsius flagitijs accelerari,
Spiritus sanctus pronuntiet. Si quis est , qui fidem di-
ctis meis ægrius sibi fieri patitur, eum ego ipsius Spiritus
sancti

T H R E N O L O G I A

sancti enuntiato minimè tamen eam abrogaturum esse arbitror. *Propter peccata populi*, inquit Regum ille sapientissimus, & sapientissimorum Rex, *multi sunt* ^{Prover. 28.} *Principes eius, & propter homines intelligentes & scientes prolongantur.* Si mortem Principibus peccata subditorum maturant: præcipuè iustis & sanctis Heroibus non dignos **D E V S** pervicaces subditos æstimat: quid planius esse potest, quàm non fortuito, non communi sorte: sed peculiari fato, è vivis evocari Principes: præcipuè piorum Principum obitu, impendentium calamitatum sortem plerumque designari? Nam tametsi debitum quidem naturæ solvunt in morte, quo solvendo tenentur omnes: quò tamen omnes alijs hominibus præstant magis in vita, eò in ipsorum morte etiam maiorem sibi **D E V S** vendicat materiam, cuius usu in gyrum obedientiæ redigere homines efficacius possit.

Quid est autem, quod hîc ego his, quæ iam sunt à me dicta, adjungam ampliùs? Nihil equidem video aliud, nisi quod præsentis temporis tristissima calamitas nobis dictat, quod luctus ipse loquitur, Fatum puto Herois nostri inclyti, nostri illius inquam Saxonici **I O S I A E**, de quo lamentari nos verbis istis, Jeremias *Tbren. 5.* docuit; *Cecidit corona capitis nostri. Va nobis, quia peccavimus!* In cuius Principis laudes commemorandas, si ego digredi hoc loco velim, eam mihi dicendi materiam esse oblatam agnosco, in qua Oratio nemini deesse possit, in qua difficiliùs exitus, quàm initium inveniri queat, ut non tam copia, quàm modus in dicendo hîc quæri debeat.

Natalium splendorem requiritis? hic verò à **V V i t i k i n d e æ**, hoc est, Regiæ stirpis Maiestate, ortus sui

B cele-

T H R E N O L O G I A .

celebritatem fortitus est. Maiorum res gestas: Saxo-
nicæ Familix affinitates: ornamenta gentis cognoscere
desideratis? De his rebus non Orationes, sed Côm-
mentarij: non sermones, sed libri sunt, qui conscriben-
di erant, & sunt quidem etiam scripti quàm plurimi.
Parentes rescire cupitis? rem scitu dignam appetitis:
sed rursus vasto Oceano similem, quem vix laboris
fuerit maioris exhaurire, quàm IOANNIS illius
VVILHELMI, Patris: DOROTHEAE SVSAN-
NAB Matris, laudes percensere, quæ fuerunt planè
innumeræ. At enim tum à studio meo: tum ab argu-
mento ipso mihi destinato, aliena sunt hæc omnia.
Nam quod Poëta scripsit:

*Et genus, & proavos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra sunt putanda.*

De proprijs bonis Principis nostri magis iuvat verba
facere.

Memini ego nostro seculo auditas non rarò fuisse
gravissimorum hominum querelas, de neglecta Prin-
cipum institutione: Et qui in hoc argumento tractan-
do ex professo versantur, Orosius, Patricius, Scripto-
resque alij, hi necessitatem scribendi ex hoc ipso allat-
tam sibi esse profitentur, quòd curam istam paucis curæ
esse dicunt, quo modo Principum institutio fiat. Ni-
hil huic querelæ loci relictum fuit in Principe nostro
inclyto FRIDERICO VVILHELMO: Hic enim,
præterquam quod ad educationem & institutionem,
à teneris animi dotes eas attulit, quæ ipsum ad maxima
quæque natum esse manifestè ostendebant: Parentis
vtriusque non exemplum tantum domesticum: sed &
solicitudinem plusquam paternam habuit, quæ in for-
manda

T H R E N O L O G I A .

manda ipsius ætate tenera desiderari nihil passa fuit. Proinde Magistrorum & Præceptorum curæ commendatus, statim in ipsa pueritia ex indolis mirifica bonitate & præstantia, spem futuræ messis in ipsa herba, bonis omnibus eximiam concitavit. Convulsit eam non nihil, non attrivit tamen totam, immaturus Parentis religiosissimi obitus, qui in annum ætatis vndecimum, hoc est, tempus incommodissimum Principis nostri inclyti incidens, venturæ frugis spem intervertere totam poterat, si divinæ providentiæ nutus, humanorum consiliorum pericula, & dissipationes non interclusisset. Verùm hic illustris pientissimæ matris sollicitudo enixius advigilavit, quæ gemini Parentis cura in se suscepta, quod Regi Ioas inter vitæ discrimina occultato, Ioseba quondam præstitit, id mater ista filio suo, in diverso periculorum genere, felicissimè etiam contulit, nempe vt evitatis, quæ transversum abripere tenerrimum Principis animum poterant, consilijs diversissimis, in eo, qui à beatissimo Patre fixus erat, fidei, studiorum, vitæque tramite filius optimus pergeret. In eo non quidem ad exquisitam progressus est literarum scientiam, quam ipsi temporum iniuria invidisse videri potest, de quo infeliciores adolescentiæ suæ fato, Principem optimum, in adultiore iam ætate aliquoties graviter conquerentem, ipsemet audivisse meminimus. Nunquam tamen inter eos est repertus, quibus non natura ingeneravit, sed prava educatio instillavit odium erga literas, nullo reliquæ totius vitæ tempore ex animo extirpandum. Testes hîc ego voco eos, quos aliquos in conspectu meo versantes habeo, qui beatissimo Principi non suspiria tantùm: sed & lachrymas

4. Reg. II.



T H R E N O L O G I A .

esse excussas, meminerunt, quoties infeliciois fati istius recordatio ipsi oborta fuit, quam tamen infelicitatem ille, se adultiori ætate expugnaturum esse professus est. Id quod est ab ipso proximis aliquot annis felicissimè præstitum, & quidem cum laude tanta confectum, ut linguarum, non Latinæ tantum: sed & aliarum, præcipuè exoticarum, cognitione, studiorumque onnis generis cultura eruditissima, certare cum Principibus, non nostri tantum seculi, sed superiorum etiam temporum literatissimis facile potuerit. Vtriusque & fati, & studij sui ille memor, quibus potuit cuiuslibet conditionis hominibus exinde ipse sedulus monitor fuit, ut optatas discendi occasiones, quibus in iuventute fruerentur, non temerè negligenter. Academia- rum & Scholarum Professoribus & Magistris *ἐργασθῆναι* sedulum sese etiam præbuit, nihil magis demiratus, quàm posse in Academijs, quas optimarum literarum disciplinæ totas personent, eam visi, quæ hodiè cernitur, morum feritatem non agrestem magis, quàm femibarbaram. Id quod anno abhinc altero nobis etiam in hoc loco (proh dolor! & pudor) inculcare, necessitas ipsum coëgit, quam ille suis oculis ingestam tum fuisse, in faciem nobis contestatus est. Erubescite, adolescentes optimi, erubescite, & siquidem fideliter didicistis artes, ad tanti Principis iudicium, abiecta morum feritate ac barbarie, per mollitiem eorundem vos componite. Sed ad institutum revertor.

Matrimonio se adiunxit, satis quidem per ætatem maturo (nuptijs Anno supra millesimum quingentesimum octogesimo tertio, qui ætatis erat vicesimus primus, celebratis) sed ob Sponsam divina providentia
obla-

T H R E N O L O G I A .

oblatam optatissimam, plus quàm felicissimo. Fuit illa, quæ nunc est cum marito *εὐ αἰγίοις*, SOPHIA CHRISTOPHORI, P. VVirtembergici nunquam satis laudati, filia, cum qua quàm felix, iucundum & pacatum Principi nostro optimo, ad septennium non planè integrum, conjugium intercesserit: in Epitaphio SOPHIAE SAXONICAE sermone, quo eidem à me parentatum fuit ante annos duodecim, copiosius est expositum.

Verùm hanc felicitatem non diuturnam ipsi esse passa fuit calamitas, quæ cum coniuge ista Anno 90. in itinere Hassiaco contigit. Nam ibi tum inter dolores partus intempestivos SOPHIA extincta, solum est *διχολογία* acerbissima conjugium suavissimum: cuius accepti vulneris cicatrix quamvis vix vnquam obduci posse videretur in hac mortalitate, obducta tamen est bigamiæ felicissimæ beneficio, quam ille cum ANNA MARIA Palatina, ea quam viduam nunc reliquit, coniuge, auspiciatissimis votis anno ab hinc decimo est ingressus.

Ad gubernationem, quam eodem ferè tempore adiit, virtutes eas attulit, quæ non tantùm pro vsu instruebant Principem: sed vel maximè ornabant etiam: & in his Humanitatem præcipuè, seu Clementiam, si sordet vox prior, & aulis hæc videtur dignior. Digna est quidem sanè vnoquoque homine Humanitas: nec homo est putandus, à quo Humanitas abest. Sed nec leviter laudari Princeps existimandus est, qui ab Humanitate laudatur. Hanc enim ego virtutem, maximarum in Principe virtutum apicem dixerim, nec refrager sanè ei, qui Divinitatis particulam quandam

T H R E N O L O G I A .

esse, præcipuè in Principe, affirmaverit Nazianzenus, certè primariam hanc ad gubernandos subditos in Principe virtutem esse statuit, quam alijs omnibus anteponit: Quod alijs Principes in parte maiestatis & reputationis primaria reputant, vultus torvitatem, vocis asperitatem, sermonis protervitatem, ne dicam factorum crudelitatem & iniuriam: hoc FRIDERICVS VVILHELMVS à se alienissimum esse semper voluit. Itaque vbicunque consisteret, quovè pedem ferret, neminem loco fugere, quin imò alios potius intrepidè accedere vidisses. Quem ille vel supplicem factum, vel causa quorumcunq; negotiorum sibi oblatum à se repulit? quem in aditu trepidantem vel nutu, vel verbo non confirmavit? cui non respondit comiter? quem absque re aut bona spe dimisit ex oculis? neminem certè nisi nocentes & invisos omnibus. Verbo vno me hinc expedio, Erat Princeps verè bonus. Sæpenumerò ex ore ipsius auditum illud fuit *ἰσομνημόνως με*, Ex conspectu Principis non facilè tristem aut turbatum quenquam dimittendum esse. Extat jam à morte Principis certissimum & publicum humanitatis istius argumentum. Videre autem iam iam est subditos passim tristes, præcipuè verò luctu squalidos proceres, audire querelas eorundem, & imprimis voces horum liberas, se non Principem: sed amicum: non amicum, sed Patrem: non Patrem, sed fratrem amisisse morte Principis sui. Nam licet nomine Patris nihil maius dici posse videatur: tamen appellatione fraterni nominis plus humanitatis, quemadmodum priori illo plus sollicitudinis indicari censent. Ac certè Pater ille, & verus Pater Patriæ fuit. Fuit enim ille Pater non solùm his qui
opibus,

T H R E N O L O G I A

opibus, genere, dignitate, populo præstarent: sed in
 vniversum omnibus: nec fuit aliquis ex infima plebe
 ita humilis, cuius salutem curæ sibi esse non minus,
 quàm Patri potest esse salus liberorum, ostenderit. Fu-
 cati aut simulati in hoc Principe prorsus nihil fuit, ni-
 hil non erat in ipso nativum, nihil hîc ascititium, nihil
 astutè simulatum erat, quod de M. Antonino Impera-
 tore todidem verbis scriptum Dion reliquit, animum in
 fronte gestavit, quibus se amicum dicebat, fuit plerun-
 que amicissimus, plus opere præstans semper, quàm
 verbis cuiquam fuerat pollicitus, qui si suis moribus
 semper fuisset relictus, à clementia & humanitate, cu-
 ius vivum profectò exemplum fuit, proprium no-
 men sortiri nemo Principum meliori jure vnquam
 potuisset.

Sed est & alterum præstantiæ genus, quod fuit
 Principis huius quasi proprium, quo fuit vsus erga Re-
 ligionem & literas. Sine literis nunquam rectè expli-
 catur Religio: Neque aliquid est doctrina quælibet, si
 non sit coniuncta cum religiosa Numinis observantia.
 Itaque quemadmodum à Patre acceperat: ita ipse quo-
 que fuit Religionis, & quæ in illa præcipuè attendenda
 est, sinceritatis & puritatis studiosissimus. Edidit huius
 rei specimen æternâ memoriâ dignum in decen-
 nali Electoratus Saxonici administratione, in qua si
 magnum aut præclarum in Republ. vel Ecclesia aliud
 nihil constituisset (constituit autem plurima) saltem
 ex repurgato templo, & à Calvinismi blasphemijs re-
 purgata, atque in pristinum Lutheranae puritatis ni-
 torem restauratâ Religione orthodoxa, perenne decus,
 & sempiternam nominis memoriam, cum immortali
 gloria

T H R E N O L O G I A .

gloria coniunctam sibi conciliaffet. Cùm tranquillitatem Ecclesiarum Saxonicarum turbaret Huberus, vel Turberus potius iste fanaticus: dici non potest, quã vigilantia, quantis laboribus Princeps optimus ignem istum, opinione latius exarsurum, quasi in favilla opprimere fategerit, cuius post **D E V M**, vnus Principis solitudini debetur, quod incendij huius maturè extincti beneficio, Ecclesia hodiè fruitur. Iam cùm nuper cum Esauiticæ gentis Goliatho Ratisponæ in duellum esset descendendum Israëli nostro: dici non potest, quã curã, quantã solitudine Princeps iste causam Religionis tractaverit, in qua sustinenda, cùm præter Socerum Palatinum, alterum quasi Atlantem, ex ordine illustri ferè haberet neminem: sic tamen in ea sustinenda se gessit, vt par hoc Principum, quoties nomen saltem istorum inaudierit gens Esauitica, quamdiu aliqua fuerit, sit formidatura. Quid in literas contulerit beneficiorum, quid in hanc ipsam Scholam, restauratio huius collegialis Templi, loquitur: fatetur Auditorium renovatio: *Quid* amplificatio monstrat: dotatio peculij apud Academiam constituti prædicat, restanturque alia innumera: quæ beneficia tametsi à communi Ducum Saxoniae liberalitate sunt profecta: huius tamen vnus Principis munificentia & solitudine potissimum fuerunt procurata, absq; quo si fuisset, Schola hæc caput suum ex pulvere & squalore, quo depressa ante annos 14. iacebat, nunquam fortè extulisset. Sed nec fides omittenda est ea, quam ille Imperatori, quam Ordinibus Imperij omnibus verè Saxonicam præstitit. Auribus mihi hisce ipsis audire videor, & oculis hisce contueri, quid animi Cæsari, quid mentis sit obortum,
 post-

T H R E N O L O G I A.

postquam tristissimum de morte Principis huius nuntium accepit. Cecidit Columna Imperij primaria, altera manu sum orbatus, baculum senectutis amisi: Hæ voces sunt, hæc sunt lamenta, quibus mortem Principis huius fidelissimi certo certius sacratissimus Imperator prosequitur. Erat mihi superioribus annis sermo cum Principe optimo, in quo vitio sibi ab aliquibus verti conquerebatur, imò sinistros etiam de se spargi rumores commemorabat, de nescio quâ ad Papatum apostasia, maximam partem puto ab ipsis Pontificijs confictos, quorum ex eo orta erat occasio, quòd Imperatori se ad fidem obsequij paratissimam accommodaret.

Quorum rumorum famam cum ego etiam ad meas aures increbuisse annuerem, Ego verò, inquit ille, mi Myli, rumores falsos nihil moror: Papatum detestor, detestaborque dum vixero:

Cæterum Imperatorem, ceu Caput Imperij & Magistratum summum quisquis sit in Religione, venerabor, quamdiu ego Princeps Saxo fuero. In neminem hîc invehimur, præcipuè Ordinibus Imperij, suorum consiliorum rationes constare certas, facile largimur. Sed fingamus eam mentem optimo huic Principi proximo hoc decennio fuisse, quæ fuit alijs non paucis Imperij Principibus, ut nulla in Turcicum bellum fuisset facta contributio, copiarum auxilium ex Saxoniam nihil in Hungariam fuisset missum (cuius contrarium autoritate huius Principis præcipuè factum esse orbis Christianus pernovit) quas quæso conversiones in Imperio iam iam videremus? & quid vicinis multis gentibus, nisi pro otio calamitas præsentissima

C

iam



T H R E N O L O G I A .

iam esset? Quæ omnia non tam propter ipsum Principem, cuius laudibus mea tenuitas, præcipuè in ea, quâ iam fruitur, beatitudine, nihil potest addere: quàm propter nos dicuntur, nempè vt in hoc tam illustri speculo exemplum veræ in **D E V M** pietatis, studij in Religionem, humanitatis & fidei erga homines contemplati, quantam morte istius Principis iacturam fecerimus, intelligamus: Cecidit profectò, cecidit Corona Capitis nostri. Postquam autem hoc intellexerimus, seriò atque ex animo doleamus, & à Propheta Threnum istum mutuemus, Væ nobis, dicentes. Minatur enim haud dubiè nobis **D E V S** per hoc fatum, aliquid malorum impendentium, quod quale quale sit, vtinam metuamus saltem, non etiam experiamur. Præcipuè autem sic doleamus, vt oculos animosque in tertium illud intendamus, quod threno suo adiectum Propheta voluit: Quia peccavimus. Scrutemur ergò vias nostras, & revertamur ad Dominum, quod Propheta idem admonet, Murmuret vnusquisque adversus peccata sua: Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos, dicentes: Nos iniquè egimus, & ad iracundiam **D E V M** provocavimus. Idcirco Dominus non fuit propitius.

Thren. 3.

Hac præcipuâ officij nostri parte vbi defuncti fuerimus, tum sereniori vultu ad **D E V M** conversi, gratias benignitati ipsius paternæ agamus, cuius beneficio talis nobis Pater Patriæ hætenus contigit, eodemque gratia hæc ipsi etiam Illustrissimo obrigit, vt decurso tandem vitæ præfinito stadio, ex vita hac ærumnosa per mortem placidissimam ille evocatus, in beatam **Pa-**
radisi

T H R E N O L O G I A .

radisi aulam migraverit. Cuius beatissimis manibus hoc nos insuper, qui superstitēs sumus, tribuamus, ut divina Principis merita non dicam oblivione: sed silentio saltem, obrui nunquam patiamur. Denique quod hoc tempus, quod hæc dies vnicum ferè sibi vendicat, in pio luctu illum transigamus. Solvamus bono Principi stipendiarias lachrymas, dixit auditorio suo B. Ambrosius super funere Imperatoris Valentiniani. Solvamus & nos optimo nostro Principi stipendium istud lachrymarum. Quo sensu vnanimiter imbuti omnes, has tibi beatissime **F R I D E R I C H E V V I L - H E L M E**, exequias hodiè nos peragimus, has octavas celebramus, hæc iusta funeri tuo & supremum hunc mortalitatis honorem nomini tuo iure optimo exolvimus, quæ ut meritis tuis sint satis digna, optamus: quin **D E O** sint grata, de eo non ambigimus.

Sed ad alteram Orationis partem me converto: in qua quò plus est mihi futurum rei, non de mortuis, neque cum mortuis: sed de vivis, & ad vivos: eò me brevius etiam hinc expedio. Officium lugendi defunctos Scriptura sacra non permittit tantum: sed & præcipit, tum alijs locis: tum præcipuè Eccles. 38. Verum ita tamen præcipit, ut non arbitrariam cuilibet operis istius telam faciat, aut indeterminatam etiam modi rationem, atque in suspenso quasi relinquat: sed officij istius partes certis quibusdam limitibus circumscribat; intra quos se modestiæ Christianæ debitum contineat. Et Apostolus quidem duo admonet, quæ sint hac in ^{1. Thess. 4.} parte observanda. 1. *Ne contristemur more infidelium, qui spem non habent.* 2. *Ut sub tristitia, consolationum nos non capiat oblivio.* Ecclesiasticus autem, quem



T H R E N O L O G I A .

nos Spiritui sancto auctori merito ascribimus, ulterius progressus, & tempori, & luctui ipsi modum statuit, neutra parte fidelibus *κατασκευαστον* aliquid permittens aut indulgens. Et profecto nemo sapiens Christiani cuiusquam mortem nimis lugendam esse existimat: Quod cum ita sit, alterum est, quod hoc loco itidem monendi estis. Nam ut cavendum fuit, ne parum grati erga tantum Principem esse videamur: ita vicissim non committendum est, ne minus pie casum istum tulisse, hoc est, in **D E V M** minus religiosi esse deprehendamus.

Debet enim optimum quemque in hoc lugubri casu consolari id, quod Principi pio, Principi sancto, Principi, ut Symbolum eius optabat, *In Verbo Domini conservato*, per mortem nihil adversi, nihil exitiosi accidisse novimus: Imò potius animam illam sanctam, notitiâ & fide Servatoris sui instructam, libenter & ultro, tanquam è custodia & vinculis corporis, ad illud beatum animorum concilium, coetumque evolasse scimus. Quod ergò de Theodosio suo Imperatore pijsimo Ambrosius pro funere eiusdem scripsit, id nos de Principe nostro rectissime itidem pronuntiamus: Regnum non deposuit; sed mutavit. Et quod Bernhardus de quovis in Christo pie defuncto scribit, ad nostrum Principem iure optimo nos referimus: Transit de labore ad refrigerium, de expectatione ad precium, de agone ad brabeum, de morte ad vitam, de fide ad notitiam, de peregrinatione ad quietem, de huius Mundi exilio ad coelestem Patriam.

Quæ cogitatio tum magis sedare animos nostros poterit, si, quicquid evenit, non casus alicuius aut fortunæ violentia: sed fati urgentis necessitate, hoc est,

T H R E N O L O G I A .

est, DEI ad meliora vocantis voluntate evenisse reputemus.

Quibus porrò id accedet, quo seculi sui homines post mortem Theodosij illius M. Imp. D. Ambrosius itidem consolatus est, scribendo, Tantus Imperator recessit à nobis: sed non totus recessit. Reliquit enim nobis liberos suos, in quibus ipsum debemus agnoscere, & in quibus ipsum cernimus & tenemus. Quæ pars consolationis apud nos etiam vim potest habere, & verò debet quoque maximam. Vix enim tam sublata, quàm mutata est persona Principis, quæ totum ferè id, quod transitu suo abstulit, in fratre partim, partim filijs, fraternæ paternæque virtutis successoribus & hæredibus, compensatum reliquit.

Proinde feramus moderatè & tranquillè, quod mutare non est iam nostrum amplius, & planè sic animati simus, quasi ipse Princeps in his tot tantisque sui ipsius membris ac partibus adhuc superstes sit, qui fortunæ, qui adversitati, qui mœrori nulli, dum viveret, succubuit: neque eius manes squalenti mœrore magis, quàm debitis honoribus, grataque memoria, in qua est aliqua vitæ defunctorum pars posita, prosequamur. Denique quò consolationis istius robur, à firma divinæ misericordiæ anchora dependeat, in pia vota resoluti, Davide magistro sic precemur:

Psalm. 85.

Domine, qui benedixisti quondam terræ tuæ, qui avertisti captivitatem Iacob, remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum, Sela. Mitigasti omnem iram tuam, avertisti te ab ira indignationis tuæ.

C 3

Conver-



T H R E N O L O G I A .

Convertere DEVS salutis nostra, & averte iram tuam à nobis. Nunquid in aeternum irasceris nobis, aut extends iram à generatione in generationem? Nonnè conversus vivificabis nos, ut populus tuus letetur?

Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutem tuam da nobis. Audiam quid loquatur Dominus DEVS, quòd loquatur pacem populo suo, & ad Sanctos suos, ne convertantur ad stultitiam.

Veruntamen propè timentes eum Salus eius, ut inhabitet Gloria in terra nostra, Misericordia & Veritas obvient sibi, Iustitia & Pax osculentur se, Veritas de terra oriatur, & Iustitia de cælo prospiciet, etiam Dominus det bona, & terra nostra det proventus suos, Iustitia ante eum ambulet, & ponat in via gressus suos.

Quod votum ratum velit is, in quo promissiones, hisque innixæ fidelium preces omnes, ita sunt & Amen, Christus cum Patre & Spiritu sancto benedictus in omne ævum, AMEN.






J E N Æ

Ex Chalcographia T O B I Æ
S T E I N M A N N I .



Anno post Christum natum

clo. 15 CII,





THRENOI

*De tristissimo simul,
simo obitu*

Illustrissimi Principis

DN. FRID

VVILHELMI, DV

NIAE, LANDGRA

GIAE, MARCHIONIS

Recitata Ien

Cum ab ordinibus Reipubl. u

summo & iustis

Patri Patriæ pare

AUTOR

GEORGIO M

MAGISTRATVS A

CLAVVM PRO T

gerente.

J E N

Ex Chalcographia TOBIAB

Anno recuperatæ Sa



843
19

